

finem obtinendum ; quo modo Stoici utebantur voluntate (2). Ex his deduces :

(a) Quia homo actionibus suis obligatur fines præfigere rationi consentaneos ; sequitur, ut contra obligationem agat, si ejusmodi fines sibi non præfigat ; ejus actio igitur mala erit, minime indifferens. Quapropter spectato fine agentis nulla est actio indifferens ; sed vel bona ob finem rationi consentaneum, vel mala ob ejusmodi finis defectum. Quia tamen fieri potest, ut actio in se spectata non statim naturæ intelligentis, sed etiam bestiarum propria sit ; idcirco actio in se sive ex objecto, vel *quoad speciem* indifferens esse potest : non item *quoad individuum*, ut ajunt.

(b) Agere præcise, quia lubet, quia placet, vel exercendæ libertatis causa est otiose agere, et absque fine rationi consentaneo : igitur mala istiusmodi est actio (3), neque obligatio negativa non otiandi, vel positiva spectandi fines rationi consentaneos, quamdiu homo ratione utitur, supra humanam infirmitatem censi potest ; nisi supra naturam ducas convenienter naturæ vivere, atque ut hominem decet.

(c) Cum obligatio extet naturalis, qua jubemur præfigere fines rationi consentaneos ; patet actionem, quæ in se sive interne mala est, et mala esse cognoscitur, sine etiam bono non expurgari ; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Etsi autem et actio in se considerata, et agentis finis seu propositum bona sint, tamen fieri potest, ut ob adjuncta aut circumstantias cesset esse bona. Quando ex fine agentis duntaxat pendet, ut recta sit actio, aut prava, *moralitas* istiusmodi actionis vocatur *extrinseca* ; ceu cum ob finem bonum bona fit, quæ est ex se indifferens, aut prava ob finem malum, quæ in se bona est.

(1) Seneca de vita beata. c. 10.

(2) Jure igitur proscripita est propositio VIII inter damnatas ab Innocentio P. XI. « Comedere et bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum ; » modo non obsit valetudini : quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. » Et propositio IX. « Opus conjugii ob solam voluptatem exerciti, omni » penitus caret culpa ac defectu veniali. »

(3) « Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint » homines, reddent rationem de eo in die judicii. » *Math. XII v. 36.* Ceterum generatim hic statuitur obligatio non agendi, nisi ex fine rationi consentaneo. Quid porro et quatenus rationi sit consentaneum, hoc loco disceptari non debet.

CAPUT VI.

Posita moralitate completa actionum, præcipua earum affectio est imputabilitas.

ARGUMENTUM.

XXIX. Imputatio.

XXX. Fit de actibus tantum liberis.

XXXI. Eidem obstat ignorantia.

XXXII. Poscit voluntarium, quod non unius generis est.

XXXIII. Coactio.

XXXIV. Metus.

§. XXIX.

IMPUTARE arithmetica voce idem denotat, ac referre quidquam in rationes alterius, sive in morali disciplina, adscribere cuiuspiam causam actionis, et præterea consecutiones sive consecutaria. Constat imputatio partibus duabus, nempe imputatione *facti*, qua quis declaratur auctor actionis : et imputatione *juris*, qua consecutaria actionis eidem assignantur ; nam qui actionem edit, quacum certa consecutaria connexa esse ignorare non potuit, in hæc ipsa censetur agendo consensisse. Patent igitur sequentia :

(a) In omni foro imputatio facti propria est *actoris* : imputatio juris propria *judicis* : reus dicitur, in quem utraque directa est.

(b) Rhetores imputationem facti reducunt ad quæstionem conjecturalem : fecerit quis, nec ne ? imputationem juris ad quæstionem qualitatibus : juste aut honeste fecerit, an secus.

(c) Si complete sumitur imputatio, atque ad naturalem cogitandi vim revocatur, tali ratiocinatione debet exprimi, ut præmittatur et lex et consecutaria : dein ponatur factum, denique in conclusione imputatio juris vel sententia enunciatur (1).

(d) Quia facta continent tum actionem in se, tum adjuncta omnia, ac fines agentium, ex quibus magnopere pendet moralitas ; hinc necesse est, ut imputanti jus omnia adjuncta probe explorata sint, aut in lucem protrahantur.

(1) Qui fratrem occidit, reus est mortis : porro Cain fratrem occidit ; igitur reus est mortis.

§. XXX. Imputatio juris fieri non potest sine imputatione facti, neque imputatio facti, nisi actio fuerit libera, sive in potestate agentis, ita, ut is potuerit non agere (1); nulla enim tam idonea est, et justa excusatio, quam si quis vere dicat: per me non stetit, quo minus istuc fieret, aut non fieret. Colliges:

(a) Quod liberum et in potestate nostra est, id pariter *voluntarium* dicitur, sive tale, quod præcedente cognitione intellectus a voluntate provenit, sive ab appetitu rationis, non quod semper secundum præscriptum rationis, sed quod non sine usu illius fiat. Quia igitur non imputabile, quod non liberum; neque liberum, quod non voluntarium, neque voluntarium, nisi ex præcedente cognitione, ac certa voluntatis determinatione; sequitur ut imputabile nihil sit, nisi ex præcedente cognitione, ac certa voluntatis determinatione. Cognitioni adversatur ignorantia, et voluntatis determinationi vis ac metus. Hæc igitur spectanda sunt, ut pateat, quid imputabile et quantum sit.

(b) Imputabile non est, quod *invincibile* dicitur, nempe tale, quod usu facultatum corporis aut animi vinci non potest, ceu morbi et vitia quædam naturæ, nisi ex neglecta cultura aut studiosa depravatione proveniant: neque imputabile id, quod natura *impossibile* dicitur: neque motus naturales, qui vi mechanismi fiunt: neque imputabilis est actionis omissio, si agendi defuit occasio. Est autem *occasio* pars temporis idoneam agendi opportunitatem habens (2).

(1) In potestate nostra est non modo interna voluntatis actio, aut motus plurimi corporis, sed sæpe etiam præcedens cognitio ad recte agendum necessaria, dein sæpe occasio, instrumenta, impedimentorum remotio, verbo, quidquid usu facultatum nostrarum, aliarumve rerum, aut parato aliorum auxilio consequi possumus, vel evitare.

(2) Imputari non potest venatori, quod feram non straverit; si nullam uspiam offendere potuit.

§. XXXI. Cognitioni ad agendum necessariæ opponitur ignorantia, et error; *ignoramus* rem, quæ penitus nos fugit, et cujus nihil omnino in mentem venit, quando agimus: *erramus*, quando in contraria falsa opinione sumus. Utrunque, in errore et ignorantia, videndum quatenus actionis causa sint: unde proveniant: in qua re versentur:

(a) Ignorantia, et error agendi causa sunt, quando iis remotis non fieret actio, tumque *antecedens* seu efficax est ignorantia vel error (1);

si quis ignorans aut errans ita agit, ut cognita etiam veritate ageret nihilominus, tum error et ignorantia est *concomitans*, nec fieri actio *ex* ignorantia, aut *ex* errore dicitur, sed *cum* errore vel ignorantia, aut *ab* errante vel ignorante. Denique *subsequens* ignorantia, vel error dicitur, qui sequitur non ipsam actionem, de qua sermo est, sed aliam præcedentem, ex qua provenit; uti si quis tabulas, unde scire poterat, in mare projecit. Patet, quod posterius utrumque genus actionis causa non sit, certe non unica. Qui vero ratum habet, quod cum tali errore vel ignorantia male actum est, non agendo, sed ratum habendo peccat.

(b) Qui usu facultatum suarum deponere errorem vel ignorantiam potest, ac notitiam comparare eam, qua opus est ad recte agendum, laborat ignorantia vel errore *vincibili*; secus *invincibili*. In priore quasi gradus insunt; est enim *affectata* ignorantia, qua quis id, quod scire interest, studio ac directe vult nescire, non auscultando, vel impediendo, nequid innotescat: dein *crassa* et *supina* ignorantia, quando nullam aut prope nullam diligentiam quis adhibet, ut comperiat, quod scire potest, ac debet. Qui enim cognitione caret, qua nec potest, nec debet esse instructus (quales sunt infantes ac perpetuo amentes), laborat ignorantia *negationis*; contra ignorantia *privationis* dicitur, si quis potest, ac debet rem nosse.

(c) Jcti Romani peculiari titulo agunt de ignorantia juris et facti, uti nempe aut factum, ejusve adjunctum, aut quid obligationis, vel honestatis sit, quis ignorat. Juris quidem positivi, aut facti ignorantia facile locum habet inter homines: non enim sola cogitandi vi talia innotescunt, sed notitia aliunde adveniente; quæ æque advenire, ac non advenire potest; quamquam ignorantia juris fere cum aliqua negligentia conjuncta est (2), non item ignorantia facti. Ad illam pertinent leges, quæ hominibus imperitis veniam dant, si ignorent jus non manifestum: hanc subesse ponunt leges de possessore bonæ fidei, de conditione indebiti etc. facta propria non facile ignorare quis præsumitur, nisi temporis decursu memoria credatur abolita.

(d) Pro indubitata habenda est thesis: *Siqua est invincibilis et antecedens error vel ignorantia, tollitur voluntarium, quodque ex ea commissum est, vel omissum, imputari nequit*; cum id neque in se, neque in sua causa sit cognitum ullo modo: igitur neque volitum: nihil enim volitum, quod non cognitum. Hinc ab Alexandro P. VIII juste rejecta est propositio secundo loco posita: *tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali*. Ex hac tamen damnatione inferri nequit, re ipsa dari, aut vulgo posse locum habere ignorantiam invincibilem juris naturalis; de qua re theologi certare solent; quamquam cur non posset omnino habere locum in hominibus incultis, ac stupidis, cetera bonæ mentis? Neque tamen in ea opinione sum, ut censeatur ignorantia juris laborare, qui de jure ambigit in utramque partem, et assensum propterea cohibet, sive quod ex parte

utraque destituatur ratione et ajendi et negandi, sive quod paribus rationum momentis trahatur in partes diversas. Ignorat is quidem, ut exemplo res palam fiat, venenum potioni admixtum, cui nihil de veneno, dum potare cogitat, in mentem venit; at cui probabilis ratio suppeditat de admixtione facta, etsi id certo affirmare non possit, non id dicitur ignorare. Nempe aliud est, carere notitia rei, aliud certa carere.

(1) Istiusmodi fuisse ignorantiam Abimelechi *Gen. XX. v. 4, 5.* ipse re et verbis comprobavit. Nunquam enim ad Saram ducendam adjecisset animum, si Abrahami uxorem nosset. Similis erat ignorantia Pauli *Act. XXIII. v. 5.*

(2) Cum divino ore prolata sit gravis illa sententia: *qui non crediderit, condemnabitur, Marc. XVI. v. 16.* nequit ignorantia invincibilis facile præsumi eorum, qui in falsis sectis computrescunt, veritate catholica ex omni parte circumlucente. Nempe et vulgo dicitur: omnis peccans ignorans; neque tamen ob eam causam non peccans, neque pœnæ non obnoxius censeri potest. Similiter de errore vincibili disserendum. *Sap. V. v. 6. Vid. Gratianus princip. caus. XV. q. 1.*

§. XXXII. Alterum actionis principium, quo ea fit imputabilis, est voluntas, quæ tum in *internis* actibus versatur, ceu amoris, delectationis, odii etc., tum in *externis*, qui *imperati* dicuntur; nequè cadit in bestias; cum sit appetitus rationis. Quæ ad hunc locum maxime spectant, sequentia capita sunt:

(a) Diximus supra (§. XXX. a.) quod liberum, id pariter voluntarium; at, quod voluntarium, non continuo liberum est. Potest enim quidpiam ita provenire a voluntate, ut idem mens non habeat in potestate: quales sunt propensiones et inclinationes variæ, quæ a voluntate quidemveniunt, at necessario; proin liberæ non sunt, neque imputabiles, nisi quatenus mens easdem amplectatur, approbet, vel causam earum posuerit. Commotiones animi repentinae et vehementiores sæpe in corpus redundantes, ex bono vel malo sensibus aut imaginationi proposito, quando omnem attentionem primo rapiunt, et rationis usum prævertunt, non sunt voluntariæ, adeoque nec imputabiles. Idem generali nomine *concupiscentiæ* veniunt, quæ *antecedens* dicitur, dum ipsam voluntatem ad appetendum, aut fugiendum vehementer inclinat, cognitionem vivacem efficit, et cogitationem ab opposita parte distrahit, eoque modo voluntarium auget, sed liberum minuit (1).

(b) Quemadmodum voluntario admiscetur contraria inclinatio, aut non admiscetur, ita *mixtum* dicitur, aut *purum* voluntarium. Ac tum censetur absolute et simpliciter voluntarium id, quod voluntas non obstante contraria inclinatione arripit, idemque est imputabile. Notio *spontanei* fixa non est. Vulgo ajunt, sponte fieri, quidquid ab interna ac naturali vi aut propensione oritur, ac tri-

buitur etiam bestiis, quæ sponte currunt ad pabulum, quin rebus etiam inanimis, ut cum tabulatum sponte cadit. Proinde non omne spontaneum etiam liberum ac voluntarium, neque omne liberum, continuo spontaneum; quia etsi voluntas quid amplectatur; tamen non sua propensione et proprio motu, sed potius necessitate quadam, aut metu id facere potest; ut adeo *sponte* prope eandem vim habeat ac lubenter quid agere, cui opponitur id, quod ab invito fieri dicitur. Quamquam qui ab alio rogatur, aut monitus propenso animo obsequitur, lubenter agit, non ideo sponte, quia non suo motu ad agendum progressus est.

(c) Quod quis vult, id aut exprimitur claris signis, aut factis indicatur, aut conjecturis colligitur probabili quadam ratione. Est igitur voluntarium *expressum*, aut *tacitum seu interpretativum*, aut *præsumtum*. Et quia *consensus* in alienos actus aliud non est, nisi volitio, ut fiat, quod alter fieri vult, aut non fiat, quod non vult; hinc etiam consensus aut erit expressus, aut tacitus, aut præsumtus. Similiter spectatur *ratihabitio*, quæ est declaratio consensus post factum accedens. Patet autem, tacitam ratihabitionem nullam esse, quando aut factum non præcessit, aut cognitum postea non est ab eo, qui ratum habere dicitur. Cuncta hæc eatenus imputabilia sunt, quoad a libera voluntate processere.

(d) Fieri potest, ut voluntarium et imputabile censeatur id, quod ab aliena, non nostra voluntate pendet, nempe ob legem quandam, aut pactum. Hoc modo Rector civitatis repræsentare dicitur populum, et Rectoris voluntas voluntatem populi declarat, quatenus jure agit, ac nomine et auctoritate Rectoris. Sed de imputatione alienorum actuum infra agetur. Dicitur etiam iis spectatis *negative voluntarium*, quod quis impedire debuit, ac potuit, nec impediit.

(e) *Directe voluntarium* est, in quod voluntas fertur proxime et velut recta via: *indirecte voluntarium seu in causa*, in quod voluntas non tendit, nisi quatenus connexum apparet cum eo, in quod tendit. Siquis vult A, quocum connexum esse novit B, is dicitur velle A directe, B indirecte. Tritum est illud: *Qui vult causam, vult etiam effectum in ea prævisum*. Ut imputatio ejus, quod quis non vult nisi indirecte, rite fiat, considerandum est, 1. quæ et quam arcta connexio sit inter utrumque. 2. Satisne, et quomodo ea fuerit prævisa. 3. Quale sit jus agendi id, quod directe quis vult, et quanta obligatio alterius evitandi (2).

(1) Similiter de perturbationibus animi quibuscunque, de temperamento, de consuetudine bona, aut prava judicandum est, quæ quidem contraria consuetudine vinci potest, ac debet. Iis, quæ perturbato aut repente inflammato animo peccantur, opponi solent commissa *ex malitia*, nempe pleno cum usu rationis, nulla animi commotione magnopere stimulante. In jure humano minus odiosa videntur delicta, ad quæ gravi metu (de quo postea) aut ex recenti iracundia quis prorumpit, quam quæ cupiditate, amore vehemente, aut desiderio voluntatis nascuntur. Leges Romanae impunitatem dederunt marito adulterum uxoris



sue occidenti. *l. marito. 24. D. ad leg. Jul. de adulteriis.* Aliter S. S. Canones sentiunt. *Conf. Prop. 19. inter damnatas ab Alexandro P. VII.*

(2) Fieri potest, ut nostra actio conjuncta sit cum aliquo alterius damno; ac sæpe locum habet; non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo. C. cum ecclesia. 31. de electione. Sed nempe præcavendum est, ne nostra actio aliis fraudi sit: *l. si servus. 27. §. 8. D. ad leg. Aquil. et l. Si putator. 31. ibid. §. item si putator. 5. I. de leg. Aquil.*

§. XXXIII. *Coactio*, seu vis ab JCto Paulo, *l. vis autem 2. D. quod metus caus. gest. erit, dicitur majoris rei impetus, qui repelli non potest.* Provenit ergo extrinsecus, et si vim passus reluctetur pro viribus, corpore et animo, imputari non potest id, quod vi gestum, vel potius extortum est (1). Collige:

(a) Vis non cadit in mentem, et actus internos; quia fieri non potest, ut quis nolens velit, aut volens nolit. Sola ergo membra hominis vel adigi ad motus vi possunt, ut quis coacte, et instar instrumenti inanimi agat, vel cohiberi a motibus ita, ut resistere quis non valeat et coacte patiat. Et quoniam mens neque eo cogi potest, ut ejusmodi motus violentos aut cessationem velit, idcirco ii nec imperati vocari possunt. Mens ergo libera est a coactione tam circa internos actus, quam imperatos (2).

(b) Minus proprie cogi dicitur, qui tormentis et cruciatu adigitur ad sceleris confessionem, aut religionem ac fidem ejurandam. Nam in potestate habet et pati, et loqui. Quia tamen spectata infirmitate difficulter resistitur dolori, erit illa coactio quædam, ac vis *moralis* (ut a physica discernatur) quæ sæpe in solis intentatis minis sita est, et metum gignit (3).

(1) Casus extat *Deuteron. XXII. a v. 25.*

(2) Aliud est, si quis invitus agat, aut invitus cesset ab agendo, nempe ita, ut mallet contrarium. Talia enim simpliciter voluntaria sunt, ac libera (§. XXXII. b.).

(3) Hoc maxime principio nituntur, qui abrogatas volunt omnes judicium questiones: qua voce intelligere debemus tormenta et corporis dolorem, ad eruendam veritatem. *l. item apud 15. §. 41. D. de injuriis.* Sic enim argumentantur ex *l. in criminibus 1. §. 23. D. de quæstion.* « Quæstio res est fragilis et periculosa, et quæ veritatem fallat; nam plerique patientia sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint. » Paucis dicunt: mentietur, qui ferre poterit: mentietur, qui non poterit.

§. XXXIV. *Metus* jurisconsultis est trepidatio mentis ob malum instans; ac si est causa actionis, ut eo depulso non fieret, *antecedens*: si actionem comitatur duntaxat, *comitans* dicitur. Priore casu *ex metu* quid

agitur, posteriore *cum metu* (§. XXXI. a.). Ut imputatio metus causa gestorum recte fiat, spectanda est magnitudo metus, causa, justitia.

(a) *Metus gravis seu probabilis*, cujus nempe excusationem leges probant, censetur is, qui cadit in constantem virum; quod non fit, nisi ob oculos versetur malum et grave, et præsens, seu jamjam instans, et quod aliter evitari nequit, nisi agendo id, quod dein ex metu actum vel gestum dicitur. Mala gravia sunt mors, mutilatio, foedum vulnus, acerbus dolor, servitus, carcer, amissio status, stuprum, infamia ægre abolenda, excommunicatio; *præsens* malum, seu instans habetur, si e. g. minas infert is, qui potest, ac solet, seu paratus est exequi: *vitari* non potest, si quis par non est, neque suis viribus et facultatibus, neque aliorum ope eidem in præsentia arcendo, vel depellendo. Contra *levis* erit metus, si aut leve malum intentetur, aut tale quidem, quod vel remotum est valde, vel depelli facile potest. In hac magnitudine metus judicanda necesse est, ut ratio habeatur personarum quoque, ætatis, sexus etc.: idcirco alius dicitur *absolute gravis metus*, alius *relative*.

(b) Si metus a causa naturali provenit ceu morbo, naufragio, aut certo istarum rerum periculo, ab incursione ferarum,urbatione elementorum etc. *intrinsecus* oriri dicitur: si a natura intelligente incutitur, *extrinsecus*.

(c) Uti is, qui metum gravem alteri infert, jure agit, aut injuria; ita metus juste aut injuste incussus dicitur. Fieri potest, ut quis jus habeat perfectum, ab altero quidquam exigendi; quin propterea vi ac metu extorquere id possit. Quo casu metum inferens non tam re, quam modo peccat (§. XVII. g.). His jam notionibus respondent sequentes theses.

(d) Quia mens cogi non potest, ne cruciatu quidem corporis, multo etiam minus sola comminatione mali (§. XXXIII. b.); idcirco quidquid ex metu etiam antecedente fit, ita voluntarium est, ut sit etiam imputabile (1), non tamen ad culpam tum, quando inter duo mala eligitur minus, uti cum vi et metu extorquetur actus non turpis, etsi indebitus: at metus quantumvis gravis et injuste, et extrinsecus incussus ad extorquendum actum turpem, non impedit, quo minus is imputari agenti possit; quia omnia potius mala subeunda sunt, quam ut turpe facinus admittatur. Vulgo censent, leges positivas non stringere cum periculo gravis mali, modo legi naturali nihil adversum committatur.

(e) Quod fit metu quocunque, gravi seu levi, at intrinsecus orto, agenti imputatur in utramque partem; ac tenetur quis promisso, ac voto, quod ex tali metu factum est. Ipse enim sese adstrinxit (2).

(f) Idem sentiendum de metu juste incusso; qui eo casu ad bonum tendit; secus enim non erit juste incussus. Si igitur justo metu

perterritus ita apud se cogitet : non facerem istuc bonum , si metus abesset ; aut non servarem divinam legem , si non esset gehenna ; tum quidem hæc voluntas mala imputatur ad culpam . At enim necesse haud est , ut qui terrore ac justo metu ad bonum adigitur , ita cogitet , et tam prava animi affectione sit . Fieri enim potest , ut salubri timore percussus bonum eligat , et exequatur , quin decernat , quid eo sublato metu esset acturus . Quid enim necesse est , quamobrem ita decernat , aut tam perverso animo sit ; cum ex ea voluntate nec quidquam commodi habeat , et idem peccatum peccaret coram summo Deo , eandemque pœnam subiret , quam evitare vult ommissa actione mala ?

(g) Metus levis non tollit imputationem . Nam *vani timoris justa excusatio non est* (3) . Neque ea , quæ ex hoc metu fiunt , adscribuntur terrori allato vel injuriæ afferentis , sed *fatuitati metuentis* (4) , aut *meticulositati* (5) .

(1) Hoc modo sustineri potest illud ex Stoicorum disciplina petitum : coacta voluntas est voluntas . Censebant enim , nunquam terri ac perturbari eum , qui sapiens sit . *Concinit l. si mulier. 21. §. 5. D. quod metus causa* . Cum tamen , si ex metu quid agatur , minus id voluntarium sit , ideoque apud homines fere excusationem quandam habet metus , aut mitigationem pœnæ . Sed utrum ob eam causam , quod voluntarium non tollatur metu , continuo valeat id , ac robor habeat naturali jure , quod metu gestum est , non est propria hujus loci disputatio .

(2) *L. Si mulier. 21. D. quod metus caus.* Si mulier contra patronum suum ingrata facta , sciens se ingrati , cum de suo statu periclitabatur , aliquid patrono dederit , vel promiserit , ne in servitutem redigatur ; cessat edictum : quia hunc sibi metum ipsa infert .

(3) *L. 184. D. de R. I.*

(4) *C. cum dilectus. 6. de his , quæ vi metusve caus.*

(5) *L. nec timorem. 7. D. quod metus causa* . Consentiant leges binæ præcedentes .

CAPUT VII.

Non modo suæ cuique actiones , sed aliorum etiam sæpe imputantur.

ARGUMENTUM.

XXXV. Jus et modus imputandi aliena.	XXXIX. Palpum.
XXXVI. Jussio et mandatam.	XL. Receptus.
XXXVII. Consilium.	XLI. Participatio.
XXXVIII. Consensus.	XLII. Taciturnitas et destitutio.

§. XXXV.

SI jussu tuo , si consilio vel consensu , si ope , opere præclare a quopiam res gesta est , in partem laudis ac meritorum te venire jure tuo , arbitraris . At si

prava suggestisti , mandasti , concessisti , eam excusationem habere justam te putas : non feci : non interfui : pedem ac manum non movi . Si quis dein dicat : at fuisti auctor facinoris mandando , suadendo , potestatem faciendo ; quid tum , inquis , vim nullam , ut fieret , intuli : libere fecit : poterat non facere , imo debebat : ætatem habet . Nulla hæc sunt ; neque enim dubium est , malefacta patrari non sola manu , verum et jussu , consilio , patientia , aliisque modis ; omnique jure aliorum flagitia aliis atque aliis imputari (1) . At ne iniquissimum feratur judicium , multa attendenda sunt , qua ratione , qua mensura aut gradu alienorum actuum imputatio fieri cuipiam possit . Præcipuæ regulæ sunt sequentes :

(a) Noscenda inprimis est ratio , qua alienæ actionis auctor , socius seu particeps , seu adjutor , aut denique fautor quis sit , haberi jure possit , sive ut vulgo dicunt , quo modo in actiones alterius alter *influat* , nempe physice , moraliter ; proxime , propinque , remote ; positive , aut negative ; directe , vel indirecte : per se , ac per accidens . Vulgo istiusmodi rationes , ob quas aliorum actus aliis etiam imputantur , comprehendunt hoc versiculo :

Jussio , consilium , consensus , palpo , recursus ,
Participans , mutus , non obstans , non manifestans .

Patet , priora sex genera *positivum* quid indicare , posteriora tria *negativum* .

(b) Dein spectanda magnitudo hujus influxus , sive quantum adjuverit , ac contulerit quisquam ad actionem . Hinc vocant aliam causam *præcipuam* , aliam *sociam seu collateralem* , aliam *subjectam* , aliam similem *instrumento* ; aliusque est *auctor* actionis , alius *socius* vel adjutor , alius *fautor* , aliud *instrumentum* .

(c) Causa *præcipua* sive *auctor* actionis is est , propter quem ea fit , sive a quo moventur aliæ causæ , ita ut nulli istarum potiori jure adscribatur actio , etsi dein proxima actionis causa faciendæ rei haud ignara se miscuerit .

(d) Causa *subjecta* est , quæ alteri moventi atque ad agendum jam paratæ obsequitur , eamque adjuvat , vel stimulat .

(e) Inter causam præcipuam ac subjectam media videtur causa *socia* , propter quam quidem actio non fit , quæque alias causas non movet , quæ suo tamen nomine agit , non ut obsequens alteri . Causæ sociæ sunt ii , qui adhærent capiti et auctori seditionis , latrocinii ,